

R.K.
412,
5.

X 1877a206

II i
233

SEPULTURAE ANIMALIUM, HEBRÆIS USITATAM,

*ad illustranda varia Codicis divini
commata,*

PRÆSIDE,

THEODORO DASSOVIO,

Linguae S. & Oriental. reliquarum Prof. Publ.

defendet

RESPONSURUS,

M. MICHAEL HENRICUS Reinhard /

Hilperhusa - Francus,

ad diem 7. Julii, A. M DCXCVII.

In Auditoriô majori.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKII,



SEPTUAGINTA

ANIMAM

HEBRAEIS USITAM

ad illustranda eorum Codicis dicitur

commenta

PRÆSIDE

THEODORO DASSOVIO

Magis & Orientalis Linguarum Prof. Publ.

RESPONDIT

M. MICHAEL HENRICUS BLUMHARDT

Magis & Orientalis Linguarum Prof. Publ.

ad diem 7. Julii 1811 DCXCVII

In Auditorio majori

WITTENBERG
Theodor Dasovius Præs.





§. 1.



Nulta præter homines sepeli-
re consueverant Hebræi ve-
teres, sive religione ducerentur,
ut illud facerent, sive a-
versarentur res, quæ terræ
mandabantur, & earundem
contaminationem metuerent,
quæ quidem omnia non per-
sequemur in præsens, sed ali-
qua tantùm delibabimus, ne extra oleas vagemur, de
animalium præcipuè dicturi sepultura.

§. 2.

Itaque sepeliebantur liqvores præputiatorum fru-
ctuū, & heterogenearum rerum, ad vineas pertinenti-
um, licet ipsi præputiati fructus, & ipsæ res hetero-
genæ comburerentur, fidem faciente *Majmonide*, in li-
bro de cibis prohibitis, cap. 16. §. 27. edit. Venetæ secun-
da, sive Mischne Tora. Parte 2. fol. 189. p. 1. Erant autem
præputiati fructus, quos arbores primò à plantatione
trienniò ferebant, si à patre familias in eum plantatæ fi-
nem essent, ut earum fructus ederentur; sin vellet.

iis uti, ad sepimenta reparanda, vel lignis earum, ad traves concinnandas, præputii anni non attendebantur, docentibus *Majmonide & Bartenorâ in Mischnam Orla, c. 1. §. 1. edit. Rivensis in fol. f. 56. p. 1.* Heterogeneæ res, quæ ad vineas pertinebant, erant triticum hordeumque & acinorum nuclei, si conjunctim in terram projicerentur, ut explicat *Maj. edit. Ven. cit. in libro de heterogeneis, c. 5. §. 2.*

§. 3.

Præterea sepeliebantur crines Nasiræo detonsi. Sive enim ille tonderet in Sanctuario, sive in provincia, nullum poterat ex crinibus detonsis usum capere, sed terræ committere debebat, imò ipse cinis eorundem prohibebatur, ut discitur ex *Maj. edit. cit. in libro de Nasiræis c. 6. §. 14.* interim tamen, si combussisset crines sub olla, in qua ejus sacrificium coquebatur, non fiebat delicti reus.

§. 4.

Nec fileri debet, quòd si gladiò animadvertetur in maleficos, ille gladius terræ crederetur, sicut etiam sudarium, quò fauces delinquentium constringebantur, & lapis ille major, quem testes in lapidandum magnò impetu conjiciebant, unà cum ligno, ex quo obrutum lapidibus cadaver suspendebatur, tanquam execrandæ, oculisque subducendæ res, sepeliebantur, ut legere est in *Majmonide edit. cit. in libro de Synedriis, c. 15. §. 6. seqq.* Simile quid reperitur in *Job. Baptista Casali libro de profanis & sacris veteribus ritibus Parte 2. p. 336. edit. Francf. & Hanover.* ubi instrumenta martyrum cum martyribus sepulta fuisse asseritur.

§. 5. Sed

§. 5.

Sed hæc prætereuntur, cum ad nostrum institu-
 tum non adeò faciant, potiùs de sepultura animalium vi-
 debimus, ubi primò de sepultis primogenitis animalibus
 dicendum est. De his ita commentatur *Majmo-*
nides in P. 3. edit. cit. in libro de primogenitis, c. 3. §. 4.
seqq. Si quis mactaret animal primogenitum, & po-
 stea ipsi innotesceret ejus vitium, licet vitium per ma-
 ctationem non esset immutatum, v. g. si pes anterior,
 vel posterior præcisus esset, posteaquàm jugulatum e-
 rat, sine jussu hominis vitia censentis, erat prohibitum,
 & sepeliebatur, sicut animal primogenitum mortuum.
 Deinde §. 9. & 10. ulterius hanc in rem ita scribit: Si
 quis primogenitum animal mactaret, nec censori o-
 stendisset, debuisse pecunias restitui, & quæ non-
 dum comestæ carnes erant, sepeliri; si autem primo-
 genitum laceratum esse pateret, posteaquàm detracta
 pellis erat, pellem fuisse combustam, & carnem sepul-
 tam; si cum vitio suo esset jugulatum, censoris jussu,
 carnem quidem sepultam fuisse, sed pellem datam
 sacerdotibus. Denique *cap. 4. §. 12. 14. & 16. docet,*
 etiam abortum animalis primogeniti, ut & massam
 sanguinis per abortum ejectam, nec non exsectum ex
 matre foetum primogenitum debuisse sepeliri, ubi si-
 mul modum addit dignoscendi foetum primogenitum,
 si gemellos paritura mater esset. Quò pertinent et-
 iam, quæ *c. 4. §. XI. leguntur,* de bestia sacra, secundi-
 nam pariente, quòd sepeliri secundinam necesse esset.

§. 6.

Hinc illustratur Exod. 13. comma 13. ubi mentio

A 3

fit

fit primogeniti asini non redempti, sed securi percussi, cuiusmodi asinus terræ mandandus erat, posteaquam cæsus fuerat, ut annotat *Majmonides in P. 3. edit. cit. in libro de rebus sacris, quæ facta erant illegitime c. 19. §. 11.* Interim, qui illum percusserat, pecuniam debebat dare sacerdoti, ne ille damnum pateretur, juxta *Jarchium in b. l.* Licet autem sepeliretur asinus primogenitus, nihilò tamen minùs sepultura asini in genere de ejus sub dio projectione, ut à canib9 devoretur, accipi potest, sicut ipse interpretatur jam laudatus *Jarchius in 2. Paral. 35. conf. Henricus Ainsworth in Levit. p. 40. edit. Londinensis.*

§. 7.

Præter hæc jam dicta animalia, sepeliri bos lapidibus obrutus debebat. Vid. *Majm. lib. cit. de rebus sacris, quæ facta erant illegitime.* Injungitur enim *Exod. 21. v. 28.* quòd lapidibus necare bovem cornuferientem oporteat, ubi hebræum verbum קרן significat solò cornu ferire, & sic differt à קרע, quod significat etiam corpore vel pede ferire, ut inculcat *Majm. in librum Mischnicum, Baba Kama, c. 1. §. 4.* Hujusmodi bos non poterat edi, licet post lapidationem mactatus esset, & alias mactatio res. esui illicitas, redderet licitas, imò ne quidem carnes ejus canibus objici debebant, sed abscondendæ sub terra erant, ne vel minimus ex iis usus caperetur. Vid. *Jarchius in Exod. 21. cit. & Ainsworth l. c.* Dissentit autè minimè *Bonfrerius*, licet de bove sive cornu, sive calcib9 sive morsu interemerit hunc locum accipiat quia quod verbum Hebræum cornu ferire significet admittit.

§. 8.

Præterea sepeliebatur vitula, quæ cædi solebat, ut sanguis hominis occisi, in via inventi, averteretur, cujus

cujus mentio injicitur Deut. 21. v. 4. seqq. His autem
ceremoniis ea res absolvebatur: Si homo reperiretur
mortuus, & non constaret, de eo, qui occiderat, quin-
que Seniores Synedrii summi Hierosolymitani exi-
bant, & urbes metiebantur, occisum circumjacentes.
Ex quo innotuerat, quænam urbs esset occiso proxima,
sepeliebatur ille in loco suo, & Seniores redibant Hie-
rosolymam. Seniores verò istius urbis propinquo-
ris capiebant juveneam de armentis civium, inque flu-
vium fortiter inundantem deducebant, securique cer-
vicem feriebant. Quò factò Synedrium istius urbis,
cum omnibus Senioribus ejus, si vel mille essent, lava-
bant manus suas in loco ubi cæsa juvenca erat, dice-
bantque in fluvio consistentes, in lingua sancta: Ma-
nus nostra non effudit sanguinem hunc, nec oculi no-
stri viderunt, quasi dicerent: Non venit in manus
nostras occisus iste, neque illum sine alimentis, aut co-
mitatu dimisimus, neque illum vidimus. Sacerdotes
autem in lingua sancta dicebant: Expiam populum tu-
um Israël, & abibant. Si occisus esset propior Hie-
rosolymæ, vel alii urbi, Synedriò carenti, denuò debe-
bant metiri spatium ad urbem aliam. Si à duabus ur-
bibus æqualiter distaret occisus, ambæ urbes simul ju-
vencam illam adducebant. Metiebantur autem à na-
so, & ad illum locum, ubi jacebat caput, etiam corpus
dirigebant, ut ibi sepeliretur. Neque hæ ceremoniæ
adhibebantur, si homo suffocatus, vel ex arbore suspen-
sus, vel in aquis natans reperiretur, sed si gladiò inter-
emptus esset, neque extra Palæstinam in usu erant.
Quæ omnia recensentur à Majmonide in P. 4. edit. cit. in
libr. de homicidio c. 9. fol. 53. Quòd verò illa vitula sepelire-
tur, docet idem in P. 3. de rebus sacris, quæ facta erant illegi-
time, c. 19. §. 11. Conf. Ainsworth in Levit. fol. 40. §. 9. Ita

§. 9.

Ita quoque sepeliri avis maētata hominis lepro-
si solebat, quæ describitur Levit. 14. v. 4. seq. Erant
autem vel duo pulli columbarum minores, vel duo
turtures majores, vel aliæ aves quæcunque, modò es-
sent mundæ, quæ ad leprosum mundandum adhibe-
bantur, ex quibus ea avis, quæ maētabatur, hic expli-
cari debet. Sive verò à Sacerdote, sive ab alio jugu-
laretur homine, sanguis ejus excipiebatur vase fictili
novò, cui aquæ vivæ, sive fluentes infundebantur
quantitate quartalis logi, sive ovi cum dimidio, in
quas aquas sanguis avis, cum maētaretur, destillabat,
& deinde sepeliebatur; annotantibus *Majmonide in*
P. 3. in libro de lepra. c. 11. & Farabiò in Levit. c. 14. & Ain-
svortbo in Levit. fol. 40. Intingebatur autem in hujus avis
sanguinem non instrumentum aliquod aspersorium, ut ar-
bitratur Lucas Osiander in b. l. sed cauda avis vivæ. Vid.
Miscna de lepra. c. 14. §. 1.

§. 10.

Huc pertinent animalia sacra mortua, & animalia
profana in atrio templi maētata, quæ itidem tumulari
in Hebræa gente consueverant, ut *Majmon. repetit loc.*
cit. de rebus sacris, quæ facta erant illegitimæ, c. 19. §. 11. E-
veniebat enim interdum, ut bestiae vel altari consecratae,
vel datae, ut ad usum templi cederent, morerentur im-
provisò, vel, ut animalia domestica, quæ nullam ha-
bebant sanctitatem, in templum decurrerent, & pro
victimis haberentur, ac cæderentur; quorum carnes,
cum nullius usus essent, abscondi sub terra debebant.
Conf. Ainsvortb in Levit. fol. 40.

§. 11. Re-

§. II.

Referuntur ad hanc classẽm quoque animalia, pecuniis decimarum secundarum emptã. Ex quo enim datæ Levitis erant decimæ, separabantur aliæ, quæ secundæ vocabantur, & Hierosolymis edi, non aliis in locis, poterant. Si itaque patres familias accedere ad urbem Hierosolymam non possent, mittebant illas decimas, & redimebant pecuniã, quã, si emissent animalia, debebant illa, æque ac decimæ secundæ, Hierosolymis edi; sed, si templum esset dirutum, cum pellibus sepeliebantur. Hinc etiam capra, pecuniis decimarum secundarum emptã, mortua cum pelle terræ credebatur. Ita explicat *Majmon. in. P. 3. in libro de decimis secundis, c. 7. §. 16. Et c. 8. §. 6.*

§. 12.

Calculus hunc auget caro cum lacte cocta. Interdictum enim Hebræis erat, ne carnẽ cū lacte coquerent, nec ederent, nec ullum ex istiusmodi carne usum caperent, sed sepelirent. Qui autem secus fecerant, flagellabantur. Prohibebatur autem caro animalis mundi, ne coqueretur cū lacte animalis mundi, quia legitur Exod. 23. v. 19. non coques ^{בשר} in lacte matris suæ; sed vox ^{בשר} complectitur foetum parvæ pecudis (sive agninum) & foetum hirci, unde hoedus vocatur ^{בשר} ^{בשר}. Si verò caro animalis mundi cocta esset cum lacte animalis immundi, aut caro animalis immundi cocta esset cū lacte animalis mundi, nõ reprehendebatur, usq; capi exinde poterat. Ita quoq; licebat coquere carnem feræ bestię, vel avis cum lacte feræ bestię, vel cum lacte bestię cicuris. Prætereã pisces & locustæ edi cum lacte poterant, sicut etiam ova in avibus matratis inventa. Sed nec animalis mortui caro cum lacte coqvenda erat. Hæc & alia ejusmodi fuscè inculcat *Majm. in P. 2. in libro de*

B

cibus

cibus prohibitis, c. 9. Conferatur in libro cit. de rebus sa-
cris &c.

§. 13.

Atque eò sensu locum allegatum Exod. 23. v. 19.
interpretatur quoque Flacius, in Clavi Scripturae, in voce
Lac, ubi ita scribit: Exod. 23. 19. prohibetur, ne quis coquat
hædum in lacte matris suæ, quod puto ad verbum esse acci-
piendum. Aliqui tamen exponunt, dum adhuc lac matris
fugit, i. e. nimis tenerum; alii: ne coxeris hædum cum ma-
tre lactante eum, sicut prohibet pullos cum matre a se in-
terficere Deut. 22. 6. Mihi prima, quæ ad verbum intelligit
de lacte matris, veluti pro aqua sumpto, maxime vera ge-
nuinaque esse videtur. Licet autem B. Lutherus cum ali-
is de hædo, qui adhuc matri lactanti adhæret interpre-
tetur, tamen ejus sententia cum sententia Majmonidis
& Flacii conciliari potest, quia si hædus tenellus in lacte
matris coqueretur, adhuc mater illum lactabat. Cum
Majmonide etiam facit Josephus Karo in Beth Joseph,
Tomo 4, edit. Cracov. fol. 64. p. 2. f. 65. seqq. & Moses Ko-
tzensis in libro preceptorum majore P. 1. fol. 50. col. 4. edit.
Vener.

§. 14.

Horum autem sepulcorum animalium cinis æquè
interdictus erat, atque animalia, ut nullus ex hujus-
modi cinere usus caperetur, testante Maj. in P. 2. in libro
de cibus prohibitis c. 9. §. 1. Imò ex ipso sepulchri loco
nullus capi usus poterat, docente eod. in P. 1. in libro Eru-
bin. c. 6. §. 17.

§. 15.

Unde patet, diversam fuisse rationem cineris a-
nimalium sepulcorum, & animalium combustorum;
siquidem cinis sepulcorum animalium usu interdice-
batur hominibus, ut diximus, sed cinis animalium
cony.

combustorum non interdicebatur usu. Ista autem animalia comburebantur; nempe carnes animalium sacrorum, si fuissent immundatae, aut per noctem in templo relictæ, aut factæ illegitimæ, præterea victima, pro reatu dubio cædenda, si homini, antequam victimæ sanguine altare tingeretur, se non commisisset reatum, sive non peccasse, innotesceret. Denique avis, quæ titulum gerebat sacrificii pro peccato dubio. *Vid. Maj. in P. 3. in libro de rebus sacris, quæ factæ erant illegitimæ.*

§. 16.

Constat quoque ex jam dictis, averfatos fuisse Judæos sepulta animalia, quia sepultæ res horrore erant & fastidio, & hinc aliâ mente illa animalia mandasse terræ, quàm Gentiles, quandoquidem Alexander M. bucephalo suo, & Augustus eqvo suo sepulchrum exstrui gratitudinis ergo curabant, ut autor est *Plinius hist. nat. lib. 8. c. 42.* Idem Lucium Verum & Adrianum fecisse, asserit *Jacobus Gutherius de jure manium, lib. 2. c. 37.* & *Lilius Gregorius Gyraldus, in libro, de vario sepeliendi ritu, apud Assyrios & Scythos equos fuisse sepultos cum Regibus affirmat. Videatur editio operum Gyraldi Lugd. Bat. in fol. p. 761.*

§. 17.

Sed ut indagemus ulterius, quid literati viri de sepultis animalibus Hebræorum senserint, existimat *Valentinus Schindlerus in Lexico Pentaglotto edit. Haroviane p. 1582.* asinum non fuisse sepukum. Verba ejus hæc sunt: *Jer. 22. v. 19. sepulturâ asini sepelietur. (Jojakim.)* Asinus non sepelitur, Targum; Sicut ejiciunt cadaver asini, ita ejicient cadaver ipsius. Cum quo consentit *Martinus Delrio Adagalia sacrorum, parte 1. edit. Lugdun. p. 460.* qui inter alia ex Hieronymo

commentatur, sepulturam asini significare insepultum a
bestiis avibusq; lacerandum, hanc enim esse sepulturam
asini, & paulò post ait: indicari insepultam sepulturam.
Quamvis autem hæc non negentur, tamen absolute
& simpliciter dici nequit, asinum sepultum non fuisse,
& asini sepulturam esse insepultam sepulturam, quo-
niam primogenitus asini, securi percussus, & non pe-
cuniâ redemptus sepeliri per leges Hebræorum debe-
bat, sicut §. 6. demonstratum est.

§. 18.

Cur bos, qui sepeliebatur, lapidatus sit, cujus
mentio fit Exod. 21. ejus rei hanc dant rationem Vi-
narienses interpretes in v. 32. ne homicidium inultum ma-
neret. Sed hanc rationem non admittit Jacobus Bon-
frerius, in b. l. edit. Antverp. fol. 465. scribens: Porro
hæc omnia in bovem, non ob culpam aliquam, quæ esse non
potest, statuuntur, sed in majorem detestationem & hor-
rorem homicidii. Paria leguntur in Cornelio à Lapide,
in b. l. edit. Antverp. T. 1. p. 489. ubi ita commentatur:
Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fue-
rint, lapidibus obruetur, non ob bovis culpam (hæc enim
esse non potest in bruto) sed ad terrorem, & exemplum ho-
minum, ut eò scilicet homines magis ab homicidio abster-
reantur, unde etiam hodiè porci, aliæque bestia, si pueros
hominesve occidant, suspenduntur, aut necantur. Alia
ad hunc bovem lapidatum pertinentia videantur in
Mischna Bava Kama, c. 4. §. 5.

§. 19.

Sed alia adhuc circa bovem lapidatum & sepultum
moveretur quæstio: an, si heredes vellent, dominus
bovis, qui reus erat mortis, redimere vitam argentò
potuerit? Affirmat hanc quæstionem Grotius in Exod.
22, v. 29. Sed Varenius se opponit Grotio, quia secutus
Raschi.

Raschium & Aben-Efram sit, & dominum bruti tum demum
vitam suam redimere arbitratur, si non posset solide de la-
tâ culpâ convinci. Quam etiam Varenii sententiam a-
lii magni nominis viri amplectuntur. At summus L.
Empereur hanc litem dirimit, & utramque sententiam
idoneè conjungit, ut nec literatores Hebræi sine causa,
atq; carbone notentur, nec solis illis inhærendum do-
ceat. Verba ejus hæc sunt in libro singulari de Legibus
Hebræorum forensibus, edit. Lugd. Bat. p. 82. Itaque v. 29.
& 30. (Exodi) duos diversos à primo casus considerandos
lex proponit: vel enim notitia, quam dominus habet, cer-
ta est, vel incerta, & incuria gravis, vel levis, aut occisi i-
psius amici jus strictissimum urgent, vel remittunt. Quod si
scientia certa fuerit, incuria gravis, atq; amici jus suum
persequantur, reum morte plectendum, verba & circumstan-
tiæ ostendunt; si scientia incerta, incuria ve levior, vel
amicorum manus renisior fuerit, comma 30. (de redem-
ptione) sequendum putarim.

§. 20.

De vitula sepulta, quæ Deut. 21. v. 4. seqq. descri-
bitur, non videntur idoneè sentire interpretes Vinarien-
ses, quando statunt, quòd Seniores vicinarum urbi-
um exierint, & dimensi spatium sint ab homicida, ad ur-
bes vicinas, ut scirent, quænam urbs adducere illam vi-
tulam deberet; Non enim Seniores vicinarum urbium,
sed Seniores summi Synedrii Hierosolymitani exhibant,
ut docet Majmon. in P. 4. Mischnæ Toræ, de homicidio, c. 9.
Quando autem B. Lutherus vertit, quòd abducenda sit
hæc vitula in einen klischen Grund / & Hebræi in flu-
vium aquarum, fortiter fluentium, abductam fuisse af-
ferunt, hæc secum invicem non pugnant. Nam licet
eò tempore, quò vitula jugulabatur, fluvius exunda-
ret aquis, tamen per intervalla solebat ita exarescere, ut
haberetur pro fundo arido; unde & seminatio & ara-

tio ejus prohibentur, quia fluvius quæ, talis seminari & arari non poterat, ita explicantibus Hebræis ipsis in h. l. Conferatur *Jarchius in h. l.* Unde etiam liquet, summum *Sebastianum Schmidium in nova Bibliorum versione, Argentorati edita*, rectè & sine contradictione hoc comma quartum ita vertere: *Deducentque (iidem) Seniores urbis hujus vitulam ad fluvium rapidum, qui non colitur, nec feritur, & decollabunt ibi vitulam in fluvio.*

§. 21.

Sed aliud dubium circa vitulam sepultam movet *Joannes Piscator, in Commentario in omnes libros V. T. T. I. edit. Herborn. p. 434.* Ubi corrigit versionem *Junii & Tremellii*, qui *Deut. 21, v. 5.* vertunt: *& deducentes Seniores illius civitatis vitulam illam &c.* putatque meliùs debere verti: *Accedunto (Seniores.)* Ita autem scribit: *Verto, accedunto.* Altera versio parit falsum hujus loci sensum: quasi scilicet sacerdotes quoque debeant facere ea, quæ præcipiuntur versu sequente; quum tamen illa propriè pertineant ad Seniores civitatis: ut patet ex ipsa sententiarum distinctione, itemque ex re ipsa. Sed Resp. in sequente versiculo dicitur, quòd laverint manus suas super vitulam, quæ lotio manuum non à solis Senioribus istius urbis proximæ, sed à toto quoque illius Synedrio peragebatur, fidem faciente *Majmonide, in P. 4. Mischne Tora, in libro de homicidio c. 9. §. 3.* Synedrium autem ejusmodi constabat ex Sacerdotibus, Levitis & Israëlitis, ut legitur in *Jalkuth edit. Cracov. Parte 1. fol. 244. col. 4.* & in urbibus etiam Synedria 23. personarum erant, docente *Maj. locò cit. de homicidio, c. 9. §. 4.*

§. 22.

Avis leprosi sepulta videtur *Alphonso Toslato, in Levit. c. 14. Operum Tomo 3. edit. Colon. p. 236.* non fuisse immundata, etiamsi tangeret morticinum, quia mundities

& im-

Et immundities, de quibus agitur in V. T. solum fuerit in homine, Et in rebus ad hominem pertinentibus. Sed volebat dicere: Solum hominem etiam vivum immundasse, & fuisse immundatum; animalia autem mortua, & aves mortuæ immundabant, & immundabantur. Vid. *Majm. de immunditie ex mortuo contracta*, c. 1. §. 14. Rectè autem judicat *locò cit.* quòd extra castra avis ista, jugulata sit, quòd Hebræi quoq; affirmant, licet sacerdos avem alteram, quæ viva remanebat, dimisurus, iterum ingrederetur castra vel urbem. Vid. *Siphra, in Korban Abaron, edit. Venet. Part. 2. f. 130. col. 1.* Sed cum negat p. 237. hanc avem inter sacrificia numerandam esse, quia quodcumq; sacrificium à sacerdote debuerit immolari, nec aliquem alium se potuisse aut intromittere de illo ministerio, quin moreretur, in eo dissentientes Hebræos habet, ut pote qui sacrificia etiam à judæo, qui non sacerdos erat, potuisse jugulari unanimi consensu asserunt. Vid. *Maj. de Oblationibus*, c. 5. §. 1.

§. 23.

Joannes autem Lorinus in Commentario in Levitic. in Levit. 14. edit. Lugdun. p. 426. largitur quidem non fuisse sacrificialem hujus avis occisionem mactationemve, innuiq; in textu, per laicam personam fieri potuisse, sed addit: concedi tamen potest similitudo aliqua cum alio quodam sacrificio, quamvis omnem penitus negare videatur Abulensis, nempe in aspersione, quoniam in sacrificio consecrationis Aaron & filiorum fiebat aspersio unguenti & sanguinis, qui erat in altari, super illos, atq; super vestimenta eorum, Levit. 8. v. 30. Sed & hæc similitudo videtur huc non adeò facere, siquidem aspersio sanguinis, facta Aaroni & filiis ejus, erat sanguinis sacrificii, qualis non erat aspersio sanguinis facta leproso, ut ex nuda aspersione sacrificium colligere non liceat.

§. 24. De.

Deniq; de carne cū lacte cocta & sepulta diversimodè Literatores Christiani existimant, quorum sententiæ leguntur in *Samuelis Bocharti Hierozoici P. 1. edit. Francof. in fol. p. 636. seqq.* & in *Joannis Spenceri libris tribus, de legibus Hebræorum ritualibus, & earum rationibus, lib. 2. cap. 8. edit. Cantabrigiæ in fol. p. 298. seqq.* Aliam tamen ab his fovet sententiam *Joannes Clericus in commentario in Exodum, edit. Amstelodamensis, p. 118.* ubi dicit, *ethnicos post collectos fructus hęc ritus esse; & imprimis Baccho fuisse immolatum hœdum, ut eò feraciores fierent vites, & sic etiam Hebræos gentilibus vicinos facile hos hœdos Baccho immolasse.* Sed Respondetur, licet concedamus, Baccho fuisse immolatum hœdū, tamen, an in lacte matris coctus fuerit, inquirendum est. Sanè *Josephus Laurentius in Polymathia lib. 1. dissertatione 40. edit. Lugd. in fol. p. 78.* ita nobis hunc ritum describit: *Plutarchus in libello de cupiditate opum ait, in antiquis Bacchi sacris hujuscemodi fuisse pompam, amphoram vini cum palmite, hinc hircum, quem traherat aliquis post cistam nucum & Phallum, quæ postea obsoleverunt, & pretiosiora sunt inducta.* Imprimis autem illud obstare videtur, quòd hœdi vocabulum non strictè pro hœdo, sed latè, pro quolibet foetu animalis tenero capiatur. *Vid. Jarchig in Exodi 23. 19.* Unde Judæi de quolibet cibocum lacte cocto hanc legem interpretantur. *Vid. Josephus Karo, in Beth Joseph in Tomo jore Dea, in fol. edit. Cracov. fol. 64. p. 2. & seqq. & in Schylchan Aruch, in 8. in Jore Dea, edit. Venetæ, fol. 36. col. 4. f. 37. & seqq. & Joel Sircks, in Tur Jore dea, edit. Cracov. in fol. 101. p. 2. f. 102. seqq. & Mard. japhe in Lebbusch Achereth Sababh gedola in fol. edit. Prag f. 34. seqq.*

§. 25.

Hæc de animalium sepultura in præsens dixisse sufficiat, reliqua conflictui reservantur.

✱(o)✱

Wolff

mc

R.K.
412,
5.


SEP

A
HE
ad illu

THE C
Ling

M. MIC

ad diem




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



II i
233

RA
M,
AM,
cis divini

SOVIO,
Prof. Publ.

1697
IS Reinhard /

DC XCVII.

ori.

